UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis Imperialis Avlae

Mallinckrodt, Bernhard von

Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Fridericvs primus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11835

Visual Library

FRIDERICVS primus.

SVb Friderico itidem Arnoldus se sistit, sed à præmisso diuersus. Qui enim Moguntinam Sedem obtinuit post Henrici depositionem, (contigit illa an.Chr.1153) à Bruschio *in Catalogo*; & ab omnibus, vt Serarius *p.818.* scribit, Cancellarius Friderici I fuisse traditur. Suspicatur autē idem Serarius, quia Fridericus an. 1152 imperare, Arnoldus autem sequenti statim Ecclesiæ Moguntinæ præesse cœpit; fortè etiam ante Imperium, id officij Arnoldum apud Fridericum administrâsse. Id fortassis factitatum esse, non admodum contradixerim; sub alio tamen, vt magis puto, nomine, quàm sub Cancellarij appellatione. Nec enim crediderim, è probatis Auctoribus aut documentis ostendi posse, morem iam tunc, huius tempore, inferioribus Cæsare Principibus fuisse, Cancellariorum operâ vtendi, contentis Notariorum ministerio: quibus vt non tantùm Episcopi, Comites, &c. sed ipsimet etiam Duces vterentur; extat antiqua Imperialis apud Goldastum, ni fallor, Constitutio. Vti autem prædictum in obscuro est; ita certum habemus, sub initium principatus Fridericiani Arnoldum Cancellis præfuisse. Extat apud Goldastum *tom.3 Const.Imp.* pacificatio, inter Eugenium III Papam & Fridericum I Imp. in Comitijs Constantiensibus sancita, quam recognouit Arnoldus prædictus an. 1152. Eiusdem anni est donatio Friderici de Monasterio Altahæ, siue Altaichij inferioris, facta Eberardo II Episcopo Bambergensi, quam refert Gevvold. *in addit.Metrop. Hundianæ tom.2, pag.28*; vti etiam declaratio eiusdem Friderici, super iuribus Aduocati Ecclesiæ Marsnensis, ap. Miræum *lib. 2 Donat. cap. 51, & Notit.Eccles.cap.158*, itidem ab Arnoldo recognita. Idem præstitit an. 1153, IV Kal. Ian. in confirmatione prædiorum Ecclesiæ Cameracensis, apud eundem Mir. *Notit. Eccles.cap.55.* Scribit Bruschius, ob acumen ingenij, admirabilem facundiam, & summam prudentiam, maximâ etiam mansuetudine & humanitate decoratam, Friderico summè carum fuisse Arnoldum. quæ eadem verba Cratepolius de Successore eius in Cancellariatu Reinaldo Coloniensi vsurpat. Quanta autem fuerit eius aliorumque Cancellariorum istis temporibus auctoritas & potentia; inde claret, quod *ex Chronico manuscript.Moguntino* refert Serarius, factum esse Arnoldum illustrissimum Imperialis aulæ Cancellarium, & quasi alterum Imperatorem. Successit Arnoldus Henrico Archi-Episcopo an.1153, vt dictum est; cùm priùs fuisset eiusdem Moguntinæ Ecclesiæ

1. *Arnoldus Archi-Episcopus Moguntinus.*

Canonicus, & Camerarius, Decanusque Aquisgranensis; (puto eundem esse, quem Diploma Conradi III, inter Antiquitates Viennenses, an. 1146 datum, Maiorem Aquisgranensem Præpositum vocat) in quo vnum hoc culpatur, quòd ab Henrico à Canonicis suis accusato, ad Apostolicam Sedem defensionis obeundæ causâ missus, non satis bonâ fide cum hero suo egerit: sed ambitu maiorum honorum in transuersum actus, magis de successione suâ, quàm innocentis iniustè accusati absolutione sollicitus fuerit, corruptis etiam, quod vtrinque pudeat, Iudicibus causæ Cardinalibus duobus, Apostolicæ Sedis Delegatis. Sedisse scribitur annis 15. sed, vt solet, clausula & exitus, reliquæ vitæ fortunatissimo tenori non admodum respondit. Orta enim Moguntinorum contra illum seditione, in S. Iacobi Cœnobio à furente plebe miserè interemptus; & toto triduo cadauer eius fœdè habitum fuit. Imperator autem necem amici sui, & primarij inter proceres Imperij Principis, seuerè vltus est, ipsâ ciuitate quoque destructâ; quæ ad Othonem vsque Imp. IV desolata & destituta per annos 56 permansit. Ortum habuerat ex nobili familiâ de Selenhofen, pagi Moguntini indigena.

2. *Ioannes.* Huius, quantùm hactenus comperi, Ioannes proximus in Palatino Cancellariatu Successor fuit, qui recognouit an. 1153 Priuilegium Friderici, datum Ecclesiæ S. Emmerami Ratisbonæ, de non infeudandis mulieribus. Extat in Addition. Gevvoldi, tom. 2 Metrop. pag. 377. hunc diuersum fuisse suspicor a altero Ioanne, de quo postea, num. 9.

3. *Otho Episcopus Frisingēsis.* Auunculum Imp. Barbarossæ, Othonem Frisingensium Præsulem, apud hunc nepotem suum Cancellarium egisse, auctor est *Antonius Albizius*; vt infrà inter Sanctos Cancellarios ostendo. Istâ stante opinione, ad primos huius Principis annos referendus erit. obijt anno 1159, vel præcedenti. Per Reinaldi Cancellarij, in Italiam cum Othone Palatino Comite Legati præmissi, absentiam, Othonem eius loco munia Cancellariatus obiuisse, ex Radeuico constat, *lib 3 de gestis Frider. cap. 21.* ac illò respexit fortassis Albizius.

4. *Reinaldus Archi-Episcopus Coloniensis.* Reinaldus in ordine quartus est, quem omnium primò inuenio subscripsisse an. 1156, apud Hund. *in Metropoli tom. 1, pag. 113*, erectionem Ducatus Austriæ; & apud Auentin. *lib. 6, pag. (mihi) 390*: eodemque recognoscente confirmauit Fridericus I an. 1157, prædia & possessiones Ecclesiæ S. Mariæ Antvverpiens. apud Mir. *lib. 1. Diplom. cap. 61*; vbi corruptè pro Reinaldo Arnaidus legitur; *& Not. Eccl. c. 159.* Ad eundem pertinet recognitio de anno 1158, *in Metrop. tom 1, pag. 114; & tom. 2, pag. 178*; & inter Priuilegia Archi-Episcopatus Hamburgensis *apud Lindenbrog. pag. 182, 184, & seqq.* denique de an. 1159, ap. Goldast. *tom. 3 Const. Imp. pag. 336.* Hic est ille Reinaldus, qui quadragesimus quartus in ordine

ordine euectus est ad Coloniensem thronum: quod factum, si Cratepolio credimus, anno 1163; licèt apud eundem, Typographi forsitan errore, anno 1169 prædecessor & agnatus eius Fridericus (fortè patruus) obijsse tradatur. Non posse autem nec ipsum 1163 annum subsistere, in sequenti Cancellario Vlrico dicam. Fuit vterque è familiâ Nobilium, siue Comitum de Dassell, quibus Embeca oppidũ, hodie Brunsuicensium Ducum, cum circumiecto tractu Söllingano (ita à syluâ longè lateque ad dextram Visurgis ripam protensâ nominatur) subiectum fuit; scripsitque horum Comitum historiam peculiari Chronico Ioan. Letznerus, non vltimus inter Saxonicarum antiquitatum erutores & vindices. Creber est in Friderici I historia Reinaldus hic noster: sub cuius auspicijs in Italico commilitio res maximas patrauit; vt omnino gesta illorum temporum bellicosissimorum legentibus fatendum sit, non fuisse ex ipsis militaribus viris, summisq; illius maximi & gloriosissimi Imp. Ducibus, qui cum duobus Sacerdotibus (Colonienſi & Moguntino Præsulibus) iustè conferri, nedum veraciter illis anteferri potuerint. Reliqua autem huius viri egregia facta facilè superat memorabilis ad Tusculum de Romanis victoria; quâ quadraginta millia hostium, viriliter opitulante prædicto Collegâ eius, Christiano Moguntino, paruâ Germanorum manu superauit. Expugnato & destructo Mediolano, tria SS. Magorum corpora, siue Victoris dono accepit, siue, vt alij volunt, clam abstulit; quæ Coloniam ab ipsomet deuecta, magna illic aliquot seculis veneratione coluntur. Mortuus fuit prope Romam, an. 1181. Laudes & commendationem huius viri apud Radeuicum lib. 3 de gest. Frid. cap. 18, legere datur. Otho Frisingensis libros Chronicorum ipsi inscripsit.

Progredior ad Vlricum, siue Vdalricum; quem *in Metropoli Salisb. tom. 1, pag. 371 & 373*, reperio, nomine Reinaldi Colon. Archi-Ep. Italiæ Archi-Cancellarij recognouisse Friderici literas Cumis, *an. 1161: ita enim vterque locus vniformiter habet; & an. seq. 1162, Papiæ eiusdem vice recognouit, *ap. eundem Hund. in Metrop. tom. 2, pag. 243*. Hæc autem omnia tria regia Diplomata, cùm Reinaldi Archi-Episcopi Colon. vice recognita sint; facilè inde colligimus errorem Cratepolij *in Catal.* & Chronici Colon. à quibus an. 1163 Reinaldus Cathedram conscendisse traditur. Extat Epistola huius Vdalrici ad Eberhardum Archi-Episcopum Salisburg. apud Tengnagel. *in Monument. Antiq. num. 51*. Fuit hoc nomine, Friderico I regnante, Halberstadiensis Episcopus; qui an hic ipse possit fuisse videri, necdum scrupulosiùs inquirere datum est. Gessit Præsul ille cum Henrico Leone Duce Saxoniæ bella grauia, vt lib. 6 Saxon. scribit Crantz. quod synchronismi causâ indicatum esto. Fuit eisdem temporibus hoc nomine Spirensis Episcopus, è familia nobili Dur-

5 Vdalricus.

**Comum ad Lacum Larium intelligit.*

Nicolaus Notarius.

müntz, creatus an. 1156. Huic Vlrico Cancellario, & Nicolao eiusdem Friderici I Notario inscripsit historias suas Radeuicus Diaconus & Canonicus Frisingensis, vocans illos *viros prudentissimos, pace & militiâ exercitatos.*

6. Christianus Archi-Episcopus Moguntinus.

Alterum sub Friderico belli fulmen è sacro Ordine, & Cancellariorum numero, Christianus sequitur. Hic licèt nec pennæ oblitus fuerit, gladio tamen maiora gessit. Recognouit autem literas Friderici I Cœnobio Benedictino Asbachcensi datas, an. 1166; in quarum subscriptione se vocat Sacri Palatij Cancellarium. Annus ille documento est, errare *Serarium* aliosque, qui auspicia præsulatus huius Christiani ad an. Chr. 1164 redigunt. Scribit quidem *Dodechinus* sub dicto anno, quòd in locum Conradi, à Friderico expulsi, Christianus fuerit subrogatus: idemque, sub an. 1163, tradit Godefr. Monach. S. Pantal. sed vterque, non quòd eo anno successio illa facta sit; satis enim constat duobus ad minimum annis Conradum pacificam tenuisse Sedis suæ possessionem; verùm occasione inthronisationis Conradi, quæ circa illud tempus celebrata est: ac contra Christianum tunc temporis Imperator consanguineo isti suo fauit, obtinuitque, vt alter (hic ipse nempe Christianus) in schismate contra Rudolphum Zaringiæ Ducem electus cederet; quamuis Thuringiæ & Hassiæ Lantgrauius, & Respubl. Erfordiensis fauore & ope ipsi adessent. Fuit enim patriâ Thuringus, è Comitum de Buche familia. Socius & consors fuit Reinaldi Coloniensis obtentæ ad Tusculum de Romanis victoriæ, ad omnem sanè posteritatem memorabilis; quamuis reperiantur, qui bellica décora in sacratis hominibus tenuiori laude prosequantur, ac nominatim Christianum perstringant, *quòd in castris quàm choro frequentiùs visus sit.* Mihi talium censorem agere propositum non est; ac gnarus præterea sum, prout tempora sunt, ita & mores formandos, ac instituta accommodanda esse. Videantur Serarius *in reb. Mogunt. pag. 823, & seq.* Albert. Crantz. *lib. 6 Metropol. cap. fin. & lib. 7, cap. 1*; &, quem ille more suo describit, Stadensis Abbas, Vrspergens. Godefr. S. Pantal. &c. Obijt in illâ ipsâ Italicâ expeditione (cuius tempore toto quinquennio res maximas effecit, ipsâ etiam Anconâ, portûs excellentiâ nobilitatâ vrbe, biennali obsidione expugnatâ) haud procul Româ, ipsomet summo Pontifice Alexandro III, confessionem eius excipiente, & viaticum sacrum ipsi porrigente, an. 1180. Scribit Crantzius *citato loco*, & ex illo refert Kirchnerus, Christianum hunc se scripsisse *Imperialis aulæ Cancellarium, & Sedis Apostolicæ Vice-Cancellarium*: quod posterius vnde habeat dubito. Stadensis certè, è quo pleraque alia de hoc Christiano mutuatus est, eius nil memorat; sed is tantùm Legatum summi Pontificis vocat, & Onuphrius Panuinius, qui accuratissimè enumerat cuiusque Pontificis Cancellarios & Pro-Cancellarios, Christianum reliquis non admiscet. Phi-

Philippus Baro de Hinsberg (Comes vocatur in Catalogo Archi-Episcoporum) quo tempore ad Coloniensem Archi-Episcopatum in Reinoldi locum conscendit, (fuit id. an. 1167) ipse quoque Friderici Cancellarius fuit, vti scribit Godefr. Monachus S. Pantal. *in histor. signati anni*; testaturque idem Cratepolius *in Catal.* Necdũ Diplomata conspexi ab hoc recognita; eius generis tamen postmodum, Archi-Cancellariatus eius tempore, ab alijs vicario nomine subscripta, suprà, cùm de Italicis Archi-Cancellarijs sermo esset, vidimus. Primus hic est Agrippinatium Antistitum, qui Westphaliæ & Angariæ Ducatus possederit; quos Henrici Leonis Ducis proscriptione & exilio, ab Imperatoris liberalitate obtinuit. Struxit idem illos, qui hodieque Coloniam cingunt, muros. Fundauit etiam Cœnobium Cisterciensium S. Petri in Heisterbach; quod Cæsarius postmodum, sui temporis miraculorum luculentus Scriptor, contubernio ac scriptis suis illustrauit, celebreque fecit. Mortuus est Philippus sub Henrico VI Imp. quem coronauit, prope Neapolim; quò Cæsarem ob regni negotia secutus fuerat. *7. Philippus Archi Episcopus Coloniensis.*

Henrici Cancellarij subscriptiones diuersæ supersunt. Recognouit literas Friderici datas Abbatiæ in Tegernsee, an. 1163, apud Gevvold. *in Addition. Metrop. Salisb. tom. 3, pag. 410*: & alias eiusdem de Haristallio Ecclesiæ Leodicensi confirmato, an. 1171, *in Hist. Leod. tom. 2, pag. 121*; & apud Miræum *lib. 1 Diplom. cap. 64, ac Notit. Eccles. cap. 163*. Fortè autem hic ille ipse sit, qui in alijs Friderici literis, an. 1125, apud Miræum *Notit. Eccles. cap. 158*, Notarius vocatur; & in Chron. Aquisgran. *lib. 3, pag. 6; ac tom. 2 Const. Imp.* Goldasti, *pag. 81*. A Notariatu enim ad Cancellariatum promotiones nec absurdæ sunt, nec sine exemplis etiam veterum temporum. Fuit sub Friderico Henricus Herbipolensis Episcopus; verùm is alius esse videtur: nam an. 1161 mitram adeptus est, an. 1163 obijt. Fuit præterea circa eadem tempora Henricus, Episcopus Wormatiensis, qui iunior hoc Cancellario fuisse videtur. De hoc sub Henrico VI Imp. videbimus. *8. Henricus.*

Ventum iam est, iuxta temporis institutam seriem, ad Godefridum Cancellarium; quem, præ ceteris Friderici I Epistolarum Magistris, omnium diutissimè scrinijs præfuisse reperio, per annos ad minimum vndecim; nimirum ab an. 1173, vsque ad an. 1183, vtrumq; inclusiuè, vt vocamus. Extant in Archiu. Monast. literæ Friderici I super cõpositione litis, factâ inter Fridericũ Episcopũ Monast. & Henricum Comitẽ de Teclenborg; siue, vt illic scribitur, Tekenenborg, de Aduocatiâ Monast. Ecclesiæ, quas Godfridus Cancellarius an. 1173 recognouit. Idem fecit an. 1174, in laudatione contractus inter Aquisgran. & Altimontẽsem Ecclesias, ap. Mir. *l. 2. Don. c. 57*; & an. 1180, in literis Episcopo *9. Godefridus Episcopus Herbipolensis.*

copo Frising. concessis, ap. Goldast. *tom. 1 Const. Imper. p. 285*; Metrop. Salisb. *tom. 1, pag. 115*; & an. 1182, in Priuilegio ciuitati Spirensi dato, apud Lehem. *in Chron. Spir. lib. 5, cap. 64*; vti etiam inter Diplomata S. Maximini, an. 1638 excusa, *num. 34*. Extat denique Constitutio Friderici super pacificatione cum Longobardiæ Ordinibus, & receptione eorundem in Imperialem gratiam, quam ICti vulgò vocant *Pacem Constantiæ*; quòd in illa ciuitate, habitâ solenni curiâ, inita & conclusa esset. Extat illa in Iuris ciuilis Corpore, post libros de Vsibus Feudorum, annum præferens 1183; eamque subscripsit idem Godefridus prædictus. Obiter indico errorem, qui in annis regni & Imperij Imperatoris Ænobarbi, in omnibus hactenus editionibus, quas ego viderim, committitur in fine dictæ Constitutionis. ita enim habent verba: *Anno regni eius octogesimo secundo, Imperij verò tricesimo nono.* corrigi verò & legi debet: *Regni tricesimo secundo, Imperij vigesimo nono.* qui numeri dependent ex electionis Principum, & coronationis Apostolicæ annis, nempe 1152, & 1155; attentis simul die erectæ & initæ Pacis, (7. Kal. Iul.) & diebus factæ electionis, & impositæ per Papalem consecrationem coronæ: qui fuerunt 3 Non. Mart. ac 18, alij 28, Iun. Ortum habuit Godefridus è familia nobilium de Pisenberg, (in Constitutione Pacis Constantiæ frater eius Ludouicus vocatur Comes de Olfestre) & an. 1182, si Bruschius in anni assignatione non erret, electus est in Herbipolensem Episcopum; cui loco quadriennium præfuit, ait idem Bruschius. Id si certum sit, necesse est anno demum 1185, vel saltèm 1184, quem Münsteri Cosmographia habet, ad Herbipolensem Cathedram peruenisse: nam anno 1189, pro quo Bruschius per errorem 1186 habet; vel certè 1190, quem ponit Godefrid. S. Pantal. interijsse certum est. Fuit enim Comes Asiaticæ, siue sacræ in Palæstinam expeditionis, sub Friderico I, & non procul ab Antiochiâ lethali morbo obijt, quem ex nimio & intolerando æstu contraxerat, sepultus in templo maximo dictæ vrbis. Elogium eius apud Bruschium hoc est, *fuisse eximiâ virtute, doctrinâ, & sapientiâ præditum:* cum quo partim cónuenit, partim amplius quid adiungit Arnoldus Lubec. lib. 3, cap. 34, hist. Slauor. scribens, *fuisse virum prudentem & eloquentem; qui etiam, secundum datam sibi gratiam, peregrinationem memoratam ex magna parte rexerit.* Hic summam ædem Herbipolensem è quadrato lapide nouam struxit, eam ipsam, vt puto, quæ hodieque satis magnifica quatuor turribus fastigiata extat. nec enim in sequentium Episcoporum vita quicquam occurrit, quod isti opinioni aduersetur. Hundius in Catalogo Episcoporum Ratisbonensium, in ordine 26, refert Godefridum, qui fuerit Conradi tertij Capellanus & Notarius, & Friderici Imp. I, eiusque filij Henrici Cancellarius; quem ait an. 1185 sedere cœpisse, sequenti resignâsse. qui videtur vel cum hoc idem esse, vel cum illo, vti etiam Godefrido Viterbiensi Historico confundi.

Ioan-

Ioannes extremis Friderici annis Cancellorum curam gessisse videtur: anno enim 1189 hoc nomine Imperialis aulæ Cancellarius per Apostolicæ Sedis Legatum Gofredum Cardinalem (Soffredus vocatur *ab Onuphrio*) Treuirensibus Archi-Episcopus datus est; eaque ratione octennalibus contentionibus *Volmari* Archi-diaconi, siue, vt *Cratepolius* habet, Maioris Decani, & *Rudolphi* Maioris Præpositi, in schismate electorum, finis impositus fuit. Inuestituram ab Henrico VI Rege, viuente etiam tunc patre, & Syriacæ expeditioni intento, consecutus est; vti testis est Godefridus Monach. S. Pantal. *sub dict. an. pag. 254, edit. Pistor.* Eâ sanè tempestate, ait Mersæus præcit. præstantiorem Pastorem Treuerici habere non potuerunt. ita præfuit & profuit. Structor est murorum & turrium, quibus hodieque Treuirorum ciuitas munita est. *10. Ioannes Archi-Episcopus Treuerensis.*

Sub eodem hoc Friderico fuit Imperialis aulæ Protonotarius Rudolphus, Canonicus Wormatiensis: qui in subscriptione literarum eius de iure Ciuitatis Wormatiensis, de anno 1180, apud Lehm. *in Chron. Spir. pag. 356*, Friderico Sueuiæ Duci, Ludouico Thuringiæ Landgrauio, & Conrado Palatino Rheni præponitur. Vide etiam Diplomata S. Maximini, num. 34. Fuit præterea Burchardus Notarius eiusdem Imp. cuius extat Epistola ad Nicol. Abbatem Sigebergensem, de capto & exciso Mediolano; *apud Freherum tom. 1 Scriptorum rer. Germ.* *Rudolphus Canonicus VVormatiensis.* *Burchardus.*

HENRICVS VI.

TReuerensis Archi-Episcopus *Ioannes*, quia Friderici anno extremo, quamuis gubernacula Imperij, dum militiæ sanctæ se præparat, iam filio credidisset, ex Cancellario altiora conscendit; parenti potiùs, quàm filio adiudicare placuit. Illi autem successit Dieterus, siue Dieterius, qui sequenti anno, (1190) post Ioannis Archi-Episcopi promotionem, vt scribit *Godefrid. S. Pantal.* vnà cum Moguntino Archi-Episcopo (Conrado Zæringiæ Duce) ab Imp. Henrico in Italiam vlteriorem (Apuliam) missus fuit, *ad explorandum*, ita addit, *euentum rerum*. Recognouit is anno proximo 1191, confirmationem Henrici de bonis Abbatiæ Gislenianæ in Hannoniâ, vti videre est apud Miræum *lib. 2 Donat. cap. 68; & Notit. Eccles. cap. 175*. Ijsdem literis & sequentia subscripta leguntur: *Datum apud Neapolim, per manus Henrici Protonotarij.* Hunc Cancellarium fuisse ait Kirchnerus, *lib. 1 de Offic. Cancell. cap. 2.* sed ille Auctor, vt alibi indicaui, illic Notarios & Cancellarios inuicem confundit. Iste Henricus trigesimus octauus factus est Wangionum Antistes; nam præcitatus *Dieterus.* *Henricus Protonotarius Episc. VVormat.*